



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

77. Silvius homo rusticanus absque peccato & restitutionis onere in syluis alienis non circumseptis moderatè ligna cedit & auchit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Atqui Sigismundus fuit Christianus, & voluit in Ecclesia viuere & mori, cum aliud de ipso probari non possit. Ergo voluit etiam eius Sacramentis in articulo mortis iuuari. Ergo Parochus malè & ignoranter ipsi negauit salutem Sacramentum extremæ Vnctionis, cum nec actualis aduertentia, nec expressum signum doloris & deuotionis requiratur, vt rectè P. de Dicastillo Tom. I. de Sacram. Tr. 8. D. 1. n. 144.

Ad rationem in contrarium negabunt multi Authores antecedens, quorum sententiam, quò minùs Parochus in praxi tutò sequeretur, nulla ipsi lex obstitit. Nos conformiter ijs, quæ diximus *cent. 1. casu 81.* negamus Consequentiã cum Card. de Lugo de Sacram. in Gen. D. 9. n. 122. quia Sacramentum pœnitentiæ ex speciali ratione continet iudicium, quod inchoari nequit, si non sit, qui causam deferat, vti fit in proposito, & pluribus ostendimus *loc. cit.* secus autem se res habet in extrema Vnctione, ad quam voluntas tam specialis & propinqua non requiritur, vt proinde sufficiat generalis illa, quâ quis ex vi professionis Christianæ sacramenta recipere in tali statu velle censetur.

LXXVII. *Sylvius homo rusticanus sepe abit in syluas spectantes vel ad priuatos quosdam dominos, vel ad alienam communitatem, cuius ipse non est pars, & ex his ligna cedit, secumq; auecta vendit.*

dit, ut comparato inde pretio necessitatibus suis domesticis occurrat. Queritur. Vtrum Syluius peccet, teneaturque ad restitutionem?

Videtur peccare & ad restitutionem obligari. Ita ex communi Bonacina *de Restitut. D. 1. q. 3. pan. 7. n. 27.* Ratio est, quia Syluius sic lignans vsurpat sibi rem alienam. Ergo furtum committit. Ergo ad restitutionem tenetur.

Resp. Probabile esse, Syluium in alienis syluis non circumseptis absque deuastatione & immoderata strage ligna cedentem & auentem non peccare, saltem mortaliter, nec teneri ad ullam restitutionem. Ita Bannez 2. *Quaest. 62. art. 3. dub. 4. conclus. 2. & 3.* Saloni-
nius, Ledesma, & plures alij Dominicani, quos refert, & eorum opinionem probabilem censet Dedicastillo *de Iust. Tr. D. 9. n. 357.* Ratio est, quia eiusmodi syluæ ab initio non aliâ lege fuerunt concessæ communitatibus, aut priuatis dominis, quàm ut ipsis liceret in illis lignare impune, non item alijs, citra maiorem tamen obligationem vel peccati contrahendi, vel restitutionis faciendæ, nisi deuastationem aut stragem maiorem facerent, ut sic aliquod foret discrimen inter arbores frugiferas & syluestres, cum enim istæ singulari culturâ non indigeant, sicut illæ, sed eas humus suâ sponte procreet, non decuit, ita has Syluestres arbores appropriari vni, ut nullo modo

do frui iisdem possint cæteri. Secus se res habet, si prædictæ sylvæ sint circumseptæ, vel proprio alicuius labore plantatæ, aut si ligna ab alio iam fuerint cæsa, & in struë coniecta, quia hâc ratione tam ipsæ sylvæ, quàm ligna in eis cæsa sufficienter iam censentur alicui appropriata, vt absque iniuria Domini auferri ex illis aliquid nequeat.

Ad rationem in contrarium distinguimus. Syluius vsurpat sibi rem alienam, cuius nullum habeat vsu absque iniuria alterius & obligatione restitutionis, negamus: absque pœna, si in hoc vsu à domino deprehendatur, esto; hoc enim non sufficit, vt dici possit, grauitè peccare, & obligari ad restitutionem.

LXXVIII. *Simplicius vir rusticanus in necessitate ita graui versatur, vt pro se, familâque sua congruam sustentationem non habeat. Retinet ergo decimas, nec causam necessitatis suæ Parocho explicat. Queritur. Vtrum in hac rerum penuria constitutus licitè solutionem decimarum omit-
tat?*

Videtur non facere hoc licitè. Ita post Ioannem Andream, Abbatem, & alios Henricus Canisius *de decimis c. 5.* Qui solùm extremam necessitatem excipiunt, quia extra hanc Simplicius nō habet ius ad eas decimas subtrahendas.

Resp. Simplicium in graui necessitate & defectu